

vel aufer, si fuerint post. Collectus enim vel relictus dierum numerus in area inuentus ostendet extrà in sinistro margine diem, & in capite Canonis menssem nostri anni. Vt si vicissim quærat<sup>ur</sup> vicesimus nonus dies Epephi Aegyptiorum, cui diei Iuliano respondeat hoc anno Do-  
 mini 1551. primum ex quaternaria diuisione colligo dies 387. & abiectis 365. referuo 22. Inde in area Canonis quæsi 29. dies Epephi iuxta se exhibent 198. dies collectos ab initio anni, à quibus ablati 22. relinquunt dies 176. Hi iam in area Canonis inuenti extrà in sinistro margine monstrant 25. diem Iunij, qui scilicet mensis in capite Canonis adscriptus est.

1. Exemplum  
 anni post  
 Christum.

Similiter si quærat<sup>ur</sup> primus dies Thoth anno 324. ante Christum id est, primo anno ab obitu Alexandri, cui diei Iuliani conueniat, primum ex quaternaria diuisione 323. existunt 80. & adiecta vnitate 81. Inde iuxta primum diem Thoth reperio in area Canonis dies 235. quibus adiecti 81. conficiunt 316. Hi in area rursum inuenti extrà indicant 12. Nouembris, vt supra dictum est. Initio igitur annorum ab obitu Alexandri primus dies Thoth congruebat duodecimo diei nostri Nouembris, vt retrò cogitemus etiam nunc in vsu fuisse nostrum annum Iulianum. similiter primus dies Thoth congruebat ad 26. Februarij primo anno Nabonassari, quem in sacris literis nuncupari diximus Salmanassarem.

2. Ante Chri-  
 stum.

## VI. Præceptum. Datus dies in anno dato ab initio

*quota sit feria hebdomadis, quomodo CHRISTI,  
 cognoscatur.*

Ideo Deus & condidit genus humanum. & infinitam suam sapien-  
 tiam, iusticiam, bonitatem, ac misericordiam certissimis argumentis,  
 rerum creatione, ac promissione seminis patefecit, vt agnoscat<sup>ur</sup> & ce-  
 lebretur à genere humano, non solum in hac vita, sed in omni æterni-  
 tate. Quapropter Ecclesia Dei ab initio mundi vsq; in hunc diem ser-  
 uat dierum hebdomadas institutas à primis patribus vt memoria crea-  
 tionis rerum, & patefactionis Dei ad omnem posteritatem progagaretur.  
 Nam primi patres ad exemplum creationis dies sex destinarunt ope-  
 ris rusticis & Oeconomicis, quæ necessaria sunt ad hanc vitam & ho-  
 minum inter se societatem tuendam. Septimum vacare omni  
 opere voluerunt, totumq; Deo ac diuinis rebus sacrum esse, in quo  
 fierint *παιδείας* in quibus homines de Deo, de peccato de se-  
 mine promisso. & de cæteris Ecclesiæ necessarijs dogmatis subinde  
 erudirentur, & quantum omnino fieri posset, sanctis opinionibus ab  
 ipsis velut incunabulis imbuerentur. Deniq; simul etiam Deo  
 conditori

*Quota Feria  
 Hebdomadis.*